7

IN ELECTIONE
JOSEPHI II.
ROMANORUM REGIS
ORATIO

HABITA

IN COLLEGIO ROMANO

ANNO CIↃIↃCCLXIV. III. KAL. JANUAR.

AB ANTONIO MARIA AMBROGI

E SOCIETATE JESU.

7





ROMAE

TYPIS GENEROSI SALOMONI

PRÆSIDUM FACULTATE.



ORATIO.



UM ſtudiorum noſtrorum ratione, atque ordine impedita in communi Europae univerſae laetitia, dum JOSEPHUS II. ROMANORUM REX eſt renunciatus, vox quoque noſtra voluntatis, & officii teſtis non potuerit prodire; nobis a novo in ſtudia literarum introitu loquendi liberam facultatem eſſe donatam & nobiſmetipſis, & Gregoriano huic Lyceo gratulamur Quirites: primum quidem, ut nos annuum in juvenibus Religione, & Bonis Artibus inſtituendis laborem a debita Regi tanto obſequii noſtri publica ſignificatione feliciter auſpicemur; deinde, ut multitudinis etiam hujus, quae huc ſtudiorum cauſa convenit, voluntas, gaudium, obſervantia per

nos Principi desideratissimo, & optimo deferatur. Neminem itaque vestrum speramus futurum, qui nostrae hujus laudationis usque ad hanc diem productam intermissionem culpae tribuendam esse putet: neque enim non intelligebamus, quam bene in iis Comitiis Europae toti consultum esset; neque beneficiorum, quae plurima, & maxima cum ab Augustis Josephi Parentibus, tum ab illorum Majoribus Societati nostrae semper fuerunt collata, adeo eramus immemores, ut in tanto gaudio, quod ex Romanorum Regis electione ad omnes pervenit, nos quoque vel maximè non laetaremur. Alterum ingrati fuisset animi, a quo longè abhorrere nos apertissimè profitemur; alterum iniquè aestimantis quae, & quanta felicitas in gentes omnes ab illa sit derivata. Nam si minus consentientibus Suffragatorum consiliis in Lotharingium Principem judicia non convenissent; quemadmodum, tristis armorum formido, & teterrimi belli acerbitas Germaniae fuisset pertimescenda; ita, Josepho futuro Caesare nominato adeo pacata, & tranquilla sunt omnia, ut, quasi in ejus dignitate Reipublicae salus, & felicitas contineretur, illi uni demandandum fuisse Imperium videatur. Quae cum ita sint; illud potius optandum mihi esse intelligo, ut a me, cui ad dicendum de illius laudibus postremus hic locus est datus, aliquid vel inauditum, vel novum non postuletis Quirites: licet enim praeclaris ejusdem animi dotibus, & ornamentis nulla

nulla par inveniri umquam possit oratio ; adeo tamen multa, eaque sapienter proposita, a maximis oratoribus vel apud vos dicta sunt, vel in urbem hanc vestram famae celebratione perlata, ut cujusquam aut ingenio, aut industria nihil istorum praedicationibus addi possit. Quare dabitis mihi hanc veniam, ut, cum JOSEPHUM ROMANORUM REGEM sapientissimi Suffragatores elegerint, atque ita eumdem ad Catholicae Ecclesiae tutelam, & Christianae Reipublicae patrocinium futurum Caesarem nominaverint, quam & Religio, & Imperium de illius animo, & virtute conceperint praeclaram spem, eam exornando vobis proponam. Dum enim id, quale, quantumque sit, mecum ipse reputans cogito, tanta mihi in partem omnem lux oboritur, tanta dignitas, ut a rerum dicendarum gravitate, & magnitudine substentatus, quocumque tandem modo dixerim, debito JOSEPHI II. praeconio minus fortasse videar defuisse.

Atque ut inde laudationis meae initium ducam, unde JOSEPHO ROMANORUM REGE electo certissima Religionis, & Imperii spes planè extitit; sinite me hoc loco utriusque Familiae Lotharingiae, & Austriacae, quae in hoc Principe nunc primò coalescunt, decora, & ornamenta brevissimè percensere. At si illarum Majoribus ad gloriam, & amplitudinem, & ad res magnas bene gerendas divinitus eximia quaedam adjuncta est virtus; & si Principum eorum, qui aequitate in legibus

constituendis, pietate in suos, amore in omnes, constantia in rebus adversis, prudentia in agendo, scientia in re militari, ceterisque imperatoriis virtutibus supremum, quem adepti sunt, Regii honoris gradum animis adaequerunt, numquam res gestas oblivifcetur, ac semper nomen posteritas commemorabit; quid mihi nunc judicabitis attingendum prius, quid proponendum posterius; aut qua contentione vocis, qua gravitate verborum, qua dicendi vi, atque copia hominum excellentissimorum illustria merita, atque adeo praeclaras laudes posse a me exornari putabitis?

Nam si a Religione in Deum Optimum Maximum, unde regnorum omnium felicitas profluit, ordiri velimus, ea quanta fuerit in nobilissimis utriusque Gentis Majoribus, neminem vestrum latere intelligo. Templa vetustate collapsa in pristinam formae speciem restituere, maxima aedificare coenobia, cum Sanctissimis illis viris Bernardo, & Norberto conjunctissimè vivere, largitate, & misericordia, qua Principi maximè licet ad Deum proprius accedere, in omnes uti, infimos quosque charitate patria ita complecti, ut profusis fructibus, qui e Regiis vectigalibus perciperentur, nullum pecuniae praestabiliorem usum esse crederent, quàm qui miserorum doloribus mederetur, tempus denique omne non suis aut oblectamentis, aut commodis, sed suorum utilitati transmittendum putare, ita

Simo-

Simonis, Joannis, Henrici Lotharingiorum propria fuisse accepimus, ut illis & Religionis in Deum, & pietatis in suos laus maxima tribuatur. Quid de Rodulpho Auspurgensium Comite vobis dicam, ac de singulari illius in Divinam Eucharistiam obsequio, cui Austriacae Familiae splendor, & dignitas non immeritò adscribitur? Quid victoriam illam contra Ottocarum Bohemorum Regem, quatuordecim hostium millibus caesis, & inimico ipso Rege interfecto, apertissimo Virginis Beatissimae patrocinio a Rodulpho item Imperatore reportatam commemorabo? Quid de Alberto I., de Ferdinando II., & III., de Carolo hujus nominis V., ceterisque Austriacis Imperatoribus loquar, quorum religionis in Deum, ac Superos & in Germania, & in Italia, & Viennae in augustissima civitate, & Florentiae in pulcherrima urbe, & Laureti in sanctissima aede tam illustria extant omnium oculis proposita monumenta?

Infinitus profecto sim, si, quae plurima, atque gravissima rei hujus testimonia in medium afferri possent, ea velim, non dicam oratione complecti, sed, vel per summa quidem capita recensendo, cursim attingere, aut indicare. Nam quis Austriacorum Principum in tuendis Ecclesiae juribus observantiam singularem, quis in Sacerdotii libertate asserenda numquam infractam religiosi animi fortitudinem, quis in Catholicae Fidei aut amplificatione promovenda, aut integritate sanctissimè con-

ſervanda ſtudium, curas, magnanimitatem, conſtantiam aequari dicendo, vel ſatis digna praedicatione celebrari a ſe poſſe confidat? Horret animus teterrimum illud tempus commemorare, quo, a Lutherianis foediſſima tempeſtate excitata, funeſta errorum colluvies Germaniam penè totam inundavit. Aedes ſanctiſſimae per ſummum ſcelus ſpoliatae; altaria impium in modum aut profanata, aut dejecta; integerrimae virgines furenti improborum libidini proſtitutae; ſingularis Sacerdotum contemptus; funeſtiſſima templorum incendia; triſtiſſimus ſeditionis, & armorum metus; jura denique omnia tum divina, tum humana violata, ita miſeris iis temporibus uſu communia ſunt facta, ut nulla in domo, nulla in urbe, nullo denique in loco, cum graviſſimo verae Religionis damno, publicè non cernerentur. Huic autem fatali florentiſſimarum provinciarum exitio, huic perdito hominum nequiſſimorum furori, huic effroenatae Lutherianorum amentiae qua cura, quibus artibus, qua animi altitudine, atque conſtantia Auſtriaci Principes non obſtiterunt? Sanctiſſimis legibus conſtitutis; doctiſſimis, iiſque pietate, & ſanctimonia ſpectatis viris collectis; Imperii comitiis indictis; auri, & argenti immenſa vi, atque copia erogata; ſtudio omni, atque arte teterrimo morbo medicinam facere conati ſunt: illudque tandem conſecutos eſſe fatendum eſt, ut, ſi graviora, quae omnino metuebantur damna, haereticorum rabies non intulit,

tulit, id totum Ferdinandi, & Maximiliani Caesarum industriae, laboribus, vigilantiae, sollicitudini, Religioni unicè debeatur.

Quamquam, quid ego haec longo annorum intervallo sejuncta persequor, cum luculentissima, quae ipsi vidimus, aut videre certè potuimus Religionis testimonia in Josephi Parentibus habeamus? Soleo saepe mentis acie libentissimè collustrare magnificentissimum Sacellum illud, quod ad posterorum memoriam positum, ac dedicatum esse voluit Franciscus eodem ipso in loco, quo illi, se Imperatorem fuisse electum, nunciatum est. Qua una re Principem Religiosissimum satis ostendisse puto, se Imperatoriam, quam obtinuerat, Dignitatem non Lotharingiae Familiae splendori, non Caroli VI., qui cum ei Filiam avitarum provinciarum, & regnorum omnium jam institutam haeredem nuptui tradidit, fore ut ipse Caesar salutaretur non obscurè indicavit, judicio gravissimo, & maximo, non Regum, ac Principum consanguinitatibus, & amicitiae, non Suffragatorum gratiae, & consensioni, non demum virtuti, ac merito ipsi suo referre acceptam; verum a Deo O. M., cujus nutu humanae sortes vertuntur, & a quo rerum omnium vicissitudines gubernantur, unicè sibi collatam intellexisse. Quod quidem religiosi animi testimonium quale, & quantum sit, quotquot, dum ipsa stabit a Caesare constituta aedes, illam conspicient; & rursus qui multis etiam

post saeculis eam vetustate collapsam videre non poterunt, Francisci tamen pietatem cum audient, rectissimè judicabunt.

De Maria Teresia vero testes sunt Florentini, Senenses, Viennenses, Hungari, Bohemi, Germania denique universa: illi scilicet, cum primùm in Etruriam venientem ea, quae fieri potuit maxima, laetitiae, & honoris significatione exciperent, non tam novae Principis comitatem, quàm spectatissimae foeminae religionem mirati sunt. Neque enim hae res, quae in pulcherrima civitate advenas ceteros detinere in primis solent, illam moverunt; non spectaculorum pompa ab usitato pietatis studio revocavit, non signorum, & tabularum pulchritudo ad cognitionem, non agrorum amoenitas ad delectationem, non denique subditorum amor, Regalis dignitas, fortunae amplitudo ad tranquillitatem, & otium; sed Virginis Beatissimae ab Angelo salutatae pervetustam, eamque a Florentinis religiosissimè servatam imaginem venerari, illam colere, & frequentissimo inspectante populo perlongo temporis spatio de genu ejusdem patrocinium sibi, suisque faustum adprecari ita oblectamentis omnibus anteposuit, ut Mariam Teresiam non sicut e Germania in Etruriam adductam, sed potius veluti e Coelo delapsam cives intuerentur. Viennenses autem, cum statutis quibusque diebus nullo famulorum comitatu, nulla militum custodia, vestium,

& or-

& ornamentorum apparatu nullo, demiſſo vultu, dejectiſque in terram oculis publicum templum adire, ibique diutiſſimè commorari illam videant; cum inter bellorum tumultus aut piis ſuſceptis peregrinationibus, aut publicis inſtitutis ſupplicationibus a Deo O. M., cujus in poteſtate bellorum exitus ſunt, opem, & auxilium poſtulantem conſpexerint; cum de inſperatò reportatis victoriis, de compreſſa hoſtium vi, de reddita populis tranquillitate gratias agentem audierint; cum demum extinctis aut militibus, aut ducibus, qui in bello fortiter ceciderunt, piiſſimè parentantem ſint imitati; quid niſi de ſpectatiſſimae Principis ſingulari pietate, ac religione umquam poterunt cogitare?

Quae cum ita ſint, ne in utriuſque Familiae immenſis propemodùm laudibus recenſendis longiùs procedat oratio; ſi certae quaedam habentur leges, quae ductae a ſanguine, quaſi natura ipſa animos tacitè edocente, ad eorum imitationem, a quibus longiſſimè propagati tandem lucis hujus uſuram accepimus, neſcio quo pacto nos impellunt, & vocant; ſi praeclara illuſtrium Majorum ob oculos propoſita exempla ſecretis quibuſdam ſtimulis noctes, dieſque nos excitant, ut qui illi fuerint, iidem nos quoque & videamur, & ſimus; ſi denique parentum curae maximam in filios vim habent, ut toto vitae ſuae curſu domeſticarum inſtitutionum aemuli, & imitatores exiſtant: vides profectò, ac planè ſen-

tis JOSEPH ROMANORUM REX, quò tandem tota pertineat, & quid vel ab ipſo dicendi initio ſpectarit oratio mea. Praeclariſſimas laudes tuas exornando complexus ſum, cum Principum, ac Caeſarum praeteritorum in Religionem illuſtria merita, ſingularem pietatem, ceteraſque, quae in Chriſtiano Rege maximè requiruntur, virtutes enumeravi. Quare ad nominis Tui praecipuum ornamentum illud cogita, debere Te Majores Tuos non tam ſingulos aemulari, quàm unum exhibere univerſos; atque adeo, cum aliquando ad Imperium moderandum perveneris, cogita ſapientiae, auctoritatis, diligentiae, conſtantiae Tuae futurum eſſe providere, ne ab infenſiſſimis hoſtibus circumventa aliquid damni capiat Religio, utque nullo umquam pacto illius amplitudo ſit imminuta. Itaque jam nunc animo ſuſcipe Catholicae Eccleſiae cauſam; ſuſcipe Chriſtianae Reipublicae patrocinium, defenſionem, tutelam; ſuſcipe in fidem, & cuſtodiam Tuam Religionis bene conceptas ſpes, ut ea quodammodo in Te conquieſcens nihil Te imperante, inter acerbiſſimas aut inimicorum inſidias, aut domeſticorum conatus, vel integerrimae libertatis, vel antiqui ſplendoris, vel priſtinae dignitatis amittat. Quae omnia ut ita ſint, quemadmodum Te Caeſare certò expectamus futura, nihil Tibi praeterea curandum eſſe affirmamus, niſi ut, quod uſque a pueritia ſingulare in Deum, ac Superos pietatis ſpecimen ſanctiſſimis moribus

bus

bus exhibuiſti, illud in dies ſtudeas confirmare; ut incredibilem animi moderationem, quam in lectiſſimae Conjugis acerbo interitu omnes ſunt admirati, eam Religionis ope velis augere; ut, qui modò tandem es, eumdem Te in ultimos quoque diutiſſimae ſenectutis annos pergas conſervare; ita enim profectò intelligent, & qui futuris temporibus praeclariſſimas res geſtas audient, aut legent Tuas, piiſſimo Principi ad optimè imperandum Religionis ſtudium maximè profuiſſe.

Nam etſi, quae ad Dei O. M. religionem, & cultum pertinent, ea quidem in Principe, ut optimus ille ſit, locum primum obtineant oportet; aliae tamen praeterea recenſentur, illaeque plurimae Imperatoriae virtutes, quae cum ad bene, feliciterque imperandum omnino requirantur, qui optimus Imperator ſit, iiſdem carere planè non poteſt. Tam multa autem, tam varia, tam diſſimilia, & impedita ea ſunt, quae, ut in officio populi contineantur, civilis diſciplinae dicuntur propria, quae vel in praecavendis hoſtium conatibus, vel in fovenda amicorum gratia regnorum ſecuritatem ſpectant, quae ab illis requiruntur, qui vectigalia exercent, quae denique ſive ad otii ſtabilitatem, ſive ad armorum adminiſtrationem pertinent; ut omnia ſapienter diſponere, quae publicae commoditati proſint, ea promovere, quae noceant, longiſſimè avertere, pacis ornamenta conſervare, ſubſidia belli non amittere, cuncta demum oppor-

portunis ſanctionibus conſtituere, ac feliciter expedire non humani conſilii, ſed potius divinae mentis eſſe videatur.

Habetis Quirites, quae olim graviſſimae Joſephi erunt curae; habetis, in quibus paterna Principis amantiſſimi deſudabit induſtria, quaeque de ſingulari ejus virtute excellens in Imperio ſpes ſit excitata. Habetis item, quae ejuſdem praeclariſſimae laudes erunt, quae ſubditarum gentium felicitas, qui populorum in ipſum amor, quae Principis optimi immortalis, & divina gloria, de qua nulla umquam tam barbara, nulla tam fera poſteritas conticeſcet. Neque enim eſſe poteſt quin tanta animi manſuetudo, qua in excipiendis ſupplicum precibus ille utitur, tanta morum ſuavitas, quae mitiſſimo reſpondet ingenio, tanta in ſumma rerum fortuna adoleſcentis Principis moderatio ſubjectis populis otium, avitis regnis tranquillitatem, Imperio denique toti non interruptam facilitatem ſit allatura.

Interdum mecum ipſe cogitans ſuſcipio mente, & animo pervagari regna, provincias, Danubium, Rhenum, Oceanum, Italiam, Auſtriam, Hungariam, Bohemiam, tot disjunctiſſimas gentes non modò veſtitu, & lingua, ſed etiam ingenio, & moribus varias, neque tam locorum poſitu, & coeli conſpectu, quàm legibus inter ſe, & civili inſtitutione diſſimiles; cumque eas omnes Auguſtis Joſephi Genitoribus parere ſciam, illam electi Romanorum Regis futuram olim haereditatem ampliſſimam vehemen-

hementer laetor Quirites. Immensos enim terrarum tractus undique circumspicienti occurrunt oculis nobilissimae civitates, Augusta Windelicorum, Norimberga, Aquisgranum, Francofurtum, Ratisbona, Wormatia, aliaeque permultae, illae aut Imperatoriis comitiis, aut praeclaro Patrum delectu, dum de rebus gravissimis ageretur, maximè celebratae, in quibus Caroli, Josephi, Ferdinandi, Maximiliani, Francisci, aliorumque Caesarum, qui anteactis saeculis floruerunt, aut invicta constantia, aut singularis animi magnitudo, aut inaudita sapientia in implicatissimis rerum articulis aeternam Principum Augustorum nominibus addidit gloriam. Sua etiam JOSEPHO II. imperante celebrabuntur comitia; suis ille pariter Imperii conventibus praesidebit; tunc quoque in disceptationem vocabuntur negotia gravissima; aderunt, qui bonae causae faveant; aderunt, qui partium studio illi se opponant, & fortasse nonnulli, qui publicam quoque tranquillitatem perturbare cupiant, si possint. Ne quid contra Imperii leges statuatur; ut omnia ad aequitatis normam rectissimè dirigantur; ne improborum conatibus ulla ex parte labefactetur Respublica, illius sapientiae erit diligentissimè providere; ita ut neque inanis assentationis lenocinio captus, neque fraudulento verborum ambitu circumventus, quod utile suis, quod honestum sibi, id unum sequatur, & velit.

Neque longè a vero abhorrere me censebitis, puto,

to, Quirites, ſi dixerim, haec omnia ex primo illo die quo Romanorum Rex eſt renunciatus, ſecum cepiſſe Joſephum tacite meditari; quantoque conſilio, quanto in ſuos amore, quanta aequitate, fortitudine, ſapientia, conſtantia ſibi opus futurum ſit jam nunc praeſentientem, praeclariſſimorum Majorum res geſtas memoria repetendo, ad illorum imitationem mentem, & animum conformare. Habent enim, qui a Deo O. M. ad Regiam dignitatem vocati ſunt, incredibiles quoſdam animorum motus, quibus ad gloriam conſequendam feruntur; quique dies, noctesque illos excitant, ut felici Regnorum adminiſtratione digni verae laudis fama & habeantur, & ſint. Quare, ſi quae perpetuò verſat animo, ea liceret nobis penitus intueri, & cognoſcere, modò Adoleſcentem Principem Illirici maris oras cogitatione luſtrantem videremus, genteſque illas, quarum ne nomen quidem audiviſſetis Quirites, niſi eas Martis vis e ſuis latebris in lucem prodire coegiſſet. Feritate barbarae illae ſunt, & nullo humanioris vitae ſtudio excultae; & inde ſcopuloſo mari, hinc aſperrimis montium tractibus undique circumcluſae, cum aliarum gentium felicitatem ignorent, ſeſe vel in ipſa miſeria infelices non ſentiunt. Illarum ruſticitati, & aerumnis, ſi tamen Mariae Tereſiae materno amori, quo populos eos quoque complexa eſt, quidquam addi ulterius poſſit, opem aliquam ferre Princeps amantiſſimus optat; ut, ſi aliquan-

quando posita immanitate incipiant moribus mansuescere; & bonis artibus, & vitae commodis, quibus huc usque parentes caruerunt, filiis, ac nepotibus, eo procurante, frui concessum sit. Modò difficili, periculosoque bello vastatos agros, direptas urbes, afflictos cives commiserantem inveniremus; cumque ab Augusto Patre didicerit, ita suorum commodis, Regio etiam laxato aerario, prospicere, ut, dum vicinae provinciae tristissimo calamitatis aut incommodo, aut metu aut laborarent, aut angerentur, ii, paterna Principis cura, veluti in ipso tranquillitatis sinu placidè conquiescerent; quo tandem animo tot familiarum solitudinem, & orbitatem, tot miserorum squallorem, & lacrimas, tantam florentissimorum regnorum perniciem, & labem Josephum ferre posse arbitrabimur? Sanè, si humanissimo Regii Adolescentis ingenio; rursus, si paterni exempli institurionibus id non concedamus, quod ille pacata omnia, & tranquilla, omnium felicitatem, & otium, nullius miseriam, & interitum vehementissimè exoptarit, mitissimo Principi iniqui esse videamur necesse est. Modò Hungariae fines diligentissimè considerantem intueremini, secumque animo perpendentem quo consilio, quibusque artibus florentissimi illius Regni securitati certius in dies valeat provideri. Oblitum illum quidem nolite credere, praestantissimi Avi sui Caroli VI. mandato, ac jussu Franciscum Patrem Hungarici Regni urbes, & propugnacula recognovisse; in

qua

qua expeditione nemo certè Lotharingii Ducis aut diligentiam, aut industriam, aut curam, aut operam requisivit. Etenim quàm multa tunc ab ipso aut minus tuta novis praesidiis sunt communita, aut minus firma magnis laboribus, & impensis sunt restituta, aut penè nulla a fundamentis sunt excitata? Intelligit ille tamen metuenda esse omnia a finitimis hostibus, qui & teterrimi sunt, & multitudine innumerabiles, & in pugnandi arte si minus perfecti, non parum tamen ab acerbissimis, quas saepius acceperunt, cladibus eruditi. Memorant ii a Germanorum armis Othomano nomini inustum dedecus, & Caroli illius Lotharingii, & Eugenii Principis memoriam execrantes saepe retorquent oculos ad urbes illas, quas e suis faucibus ereptas dolent; neque, si induciis intercedentibus ab armis cessant, & hoc Mariae Tersiae virtuti obsequium praestant, ut stent promissis, illos umquam aut accepti damni oblitos, aut ulciscendae injuriae, atque adeo atrocioris vindictae non esse cupidos putandum est.

Quamquam ad arma provocent impurissimi hostes, & in media acie Romanorum Regis virtutem, & animum experiantur: erit fortasse, ut post invictissimi Patris imperium Augusti Filii armis prostratos, ac fusos insani furoris, & non ferendae audaciae serò quidem, sed tandem aliquando illos poeniteat. Etenim Quirites, dum belli gravissimo incendio Germania quasi univer-

sa

ſa conflagraret, dum florentiſſima regna hoſtium incurſionibus vaſtarentur, dum fato neſcio quo miſero, & infelici nobiliſſimarum provinciarum agri humano ſanguine redundarent; quoties Adoleſcentem Principem non militum ferocitatem extimeſcentem, non incerto praeliorum exitu perterrefactum, non vitae ipſius periculo commotum inter pugnantium tumultus, & arma verſari deſiderantem audiſtis? Scilicet in natis ſummo loco adoleſcentibus animos habet ſuos aetas quoque puerilis; eaque ſecretis quibuſdam ſtimulis concitatur, ut pro laude vitam ipſam profundere non recuſet. Hinc qua laetitia exultantem, quibus gaudiis geſtientem viderunt ſui, ſi quid ab Auſtriacis copiis proſperè, feliciterque geſtum narraretur; & Joſephum de ducibus, de militibus, de hoſtium conatu, atque vi, de loci opportunitate, de pugnae ratione, de victoria denique quàm diligenter interrogantem ſunt admirati? Sin autem gravius nuncium aliquod aures perculiſſet, varia enim, & mutabilis humanorum eventuum ſors eſt, in communi aulae totius moerore, & vehementiſſimè commotum ſe acerbiſſimo ſuorum interitu, & incredibili ulciſcendae calamitatis ſtudio inflammatum, &, cum defluentes lacrimas Adoleſcens magnanimus continere vix poſſet, multò generoſiorem ſe, quàm a tenera illa aetate fuerat poſtulandum, oſtendit; & niſi ſapientiſſimum moderatorum conſilium, ipſa Auguſtorum Parentum auctoritate interpoſita,

ta, effervescentem animi ardorem cohibuisset, quemadmodum olim Pompejum illum Magnum, adolescentia ineunte, maximi exercitus imperatorem habuerunt Romani, non dissimili rursus aetate adolescentiam suam ad rei militaris scientiam non alienis praeceptis, sed suis imperiis Josephum traduxisse audivissetis. Nolite tamen putare, singularem hanc armorum, & militiae cupiditatem in Josepho, quasi maturioris aetatis fructum aliquem, subcrevisse; quin ad immortalem illius gloriam unà cum ipso natam, & quasi ab incunabulis patefactam recordamini. Quem enim vestrum ignorare, aut quem oblivioni mandasse putem auspicatissimam diei illius recordationem, quo die Maria Teresia filium infantulum e materno sinu pendentem, & manu gladium tractantem fidelissimis Hungariae populis ex equo sublimis ostendit? Hujusmodi conspectus inusitato quodam, ac subito pietatis, & amoris sensu ita praeclarae illius gentis commovit animum, ut statim, quibusque nobilissimis conjurantibus, ad quadraginta Hungarorum millia vix ab ubere depulsum ducem secuti sint: quorum virtute, atque armis, ejectis hostium copiis, compressis adversariorum conatibus, tetri, periculosique belli incendio restincto, pueruli unius conspectui otium vexata Bohemia, libertatem afflicti populi, tranquillitatem denique Germania universa debere se apertissimè profiteri non recusarunt. Susceptis autem ab ineunte aetate ejusmodi non tam conjectu-

jecturis, quàm futurae virtutis, atque praestantiae certissimis argumentis, mirerne, an ob hanc ipsam incredibilem naturae excellentiam mirandum non putem, quod tanta gentium omnium consensione, ut idem Rex Romanorum eligeretur, diù, multùmque optatum sit? Accessere praeterea propè divinis illis puerilis aetatis initiis Imperatoriae Parentum institutiones; accessere virtutum omnium praeclarissimarum domestica exempla; accessit literarum, & artis cujusque ingenuae studium singulare; quibus tandem effectum est, ut mira Suffragatorum concordia, maximaque Christiani orbis totius laetitia Regium Nomen, atque adeo Imperatoria Dignitas non JOSEPHO II. donata, sed planè illius virtuti, ac meritis sit retributa.

Tu verò interea Princeps Auguste, dum tam apertis laetitiae significationibus, effusisque laudum praeconiis electionem hanc Tuam gentes omnes sunt prosecutae, gaude isto Tuo Regio Nomine, quod meritò adeptus es, & tecum ista fruere cogitatione, quod illud non tam Regum, ac Principum consensioni, & gratiae, non tam nobilissimae Familiae Tuae dignitati, atque opibus, quàm Tibi ipsi, & iis, qui in Te jam a puero spectati sunt mores, referre debeas acceptum. Vides profecto e sublimi isto gradu, in quo es collocatus, omnium oculos in Te conversos; vides, quid Tui, quid exterae gentes, quid ipsa posteritas a Te expectent;

cum-

cumque ROMANORUM REX ſis ſalutatus, intelligis in Te uno quaſi Europae univerſae tranquillitatem contineri. Diù itaque, & incolumis vive, quod omnes optant, & a Deo precantur; neque enim Tibi ſoli jam vivis; ſed vivis Auguſtae Familiae Tuae ſplendori, populorum felicitati, & deſiderio, gloriae, & laudibus Tuis, aetatum memoriae ſempiternae, ſpei tandem illi, quam Religio, & Imperium in Te certiſſimam poſuere; cumque ad tantarum aut virtutum, aut ornamentorum Tuorum cumulum acceſſio nulla fieri poſſe videatur, illud unum nobis optandum reſtat, ut, cum Imperio diutiſſimè adminiſtrato ſatietate vivendi naturam expleveris, qui futuris ſaeculis naſcentur, quam pietatem, & obſervantiam in Deum, quam clementiam in ſubditos, in ceteros humanitatem, quam in rebus gerendis ſapientiam, integritatem, conſtantiam, in bello, & armis felicitatem, ac gloriam in Te florere aetas noſtra intuebitur, eamdem in Filiis, atque Nepotibus ad Nominis, & Familiae Tuae laudem ſempiternam perpetua ſucceſſione propagatam ſentiant, teque noſtris hiſce temporibus ROMANORUM REGEM fuiſſe electum ſibi meritò gratulentur.